



Volumen Epistolarum, Qvas Romani Pontifices, Gregorijs III., Stephanvs III., Zacharias I., Pavlvs I., Stephanvs IV., Adrianvs et Pseudopapa Constantinus miserunt & reges Francorum, Carolvm Martellvm, ...

Gretser, Jacob

[München], 1613

Item exemplar Epistolæ eiusdem Papæ, ad Domnum Carolvm Regem directæ, in qua continentur gratiarum actiones seu benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei Ecclesiæ, & de Sacramentario exposito à sancto ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-65166](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-65166)

*Item exemplar Epistolæ eiusdem Papa, ad
Domnum Carolum Regem directæ, in qua continentur gratia-
rum actiones seu benedictiones pro exaltatione sanctæ Dei
Ecclesiæ, & de Sacramentario exposito à sancto Gregorio im-
mixtum, quatenus eum Dominus Rex poposcerat, per Io-
hannem Monachum, atq; Abbatem ciuitatis
Rauennantium miserat.*

LXXII.

DOMNO excellentissimo filio nostroque spi-
ritali compatri Carolo, Regi Francorum &
Langobardorum atque Patricio Romano-
rum, Adrianus Papa. Jter peragratum annectens Li-
mina beatorum principum Apostolorū Petri ac Pau-
li, Reuerentissimus & Sanctissimus Huchbertus Epi-
scopus desiderij sua vota adimplēs, obtulit nobis præ-
fulgidos eximiosq; vestros in triumphis regales affa-
tus, quos cum nimio cordis amore referantes atq; re-
legentes, reperimus in eis, vestram vibrantissimam ac
mellifluam nobis destinatam salutem, sed nimirum,
quod potius* molem desiderantes præstolabamur, de
vestra præcella regali in triumphis victoria atq; fospitate,
imò & cunctorum vestrum fidelium prosperitate,
pariterque & de profectu atq; exaltatione spiritualis
matris vestræ, sanctæ Catholicæ & Apostolicæ Roma-
næ Ecclesiæ, in ipsis vestris regalibus mellifluisq; spe-
culantes apicibus; in his omnibus noster releuatus est
animus, & redemptori mundi retulimus grates, præ-
cipuè satagentes in Confessione clauigeri regni cœlo-
rum, fautoris vestri, B. Petri Apostolorum principis,
non omittimus crebro suppliciter diuinam pro vobis
exorare clementiam; tanta quippe erga vestram regalem

*Summ. 7.
Bar. 5
Cent.*

** Siderur
redundare.*

lem clementiam utimur; quia nobis siue in silentio, siue poscentibus, pro profectu atq; exaltatione spiritalis matris vestrae, sanctae Romanae Ecclesiae, non intermittitis decertare, ut per vestra laboriosa certamina, magis magisque permaneat irrefragabiliter & congruè exaltata, & dignum vestrum nomen adscriptum in libro vitae coelestis, & regalis memoria in saeculum saeculi hareat.

De Sacramentario verò à sancto praedecessore nostro, Deifluo Gregorio Papa disposito, iam pridem Paulus Grammaticus à nobis eum pro vobis petiit, & secundum sanctae nostrae Ecclesiae traditionem per Iohannem Monachum atq; Abbatem ciuitatis Rauenanatum vestrae regali emisimus excellentiae, quatenus optantes pro vestra regali inuictissima excellentia, eundem Dei Apostolum, vestrumque protectorem poscentes, quaesumus, ut semper ubique vos comitans, victores super omnes barbaras nationes efficiat, & vnà cum Domna spiritali filia nostra excellentissima Regina, vestraeque prosapia nobilissima prole, longiori aeuo in hoc regnantes mundo, in vitam aeternam, cum sanctis omnibus, regnare sine fine, eius interuentionibus, faciat. Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat.



Item